

currentes illius anni, in quo Iesus ^{a)} Christus est passus; et ab utrolibet extremorum terminorum ad medium terminum calculando veniamus hoc modo: in principio mundi fuerunt XIV epacte, nulli vel VII cum bissexto concurrentes. In anno, quo passus est Dominus ^{b)} Iesus Christus, fuerunt V concurrentes, proximo anno post bissextum, et XI epacte. In anno Domini, cum ista scribimus, presenti MCXXXV., sunt ^{c)} epacte IV, concurrens I, tercio anno post bissextum. Restat itaque, ut iuxta premissam regulam a XIV epactis et a nullis concurrentibus, qui in principio mundi fuerunt, tamdiu descendamus et econtra ab instantibus presentis anni epactis et concurrentibus eodem usque ascendamus, donec lunam et feriam dominice passionis et resurrectionis secundum IV evangelia sed et VIII ^{d)} Kal. Apr.^{e)}, in quibus passus est Dominus secundum sanctorum patrum traditionem certam ^{f)}, demonstratas ostendamus ^{g)}.

Cap. IV.

Transierunt autem secundum diligentissimam venerabilis Bede presbyteri cronographiam a principio mundi usque ad nativitatem Christi Iesu anni IIIMDCCCCLII, a nativitate vero Christi MCXXXIV, et quintus iam instat ¹¹⁵⁾ secundum vulgatissimam supputationem ^{h)}. Ex quibus si XXXIII annos ⁱ⁾ addamus superioribus, fuerunt secundum Bedam a principio seculi ad passionem Domini ^{k)} anni IIIMDCCCCLXXXV, et abinde ad nos remanent anni ^{l)} MCII. Sed hos annos sive ab initio mundi descendens sive a nostris temporibus ad passionem Domini ascendens, si per decemnovenales ^{m)} et solares cyclos diviseris, lunam et feriam secundum evangelia nullatenus invenire poteris. Verbi gratia: in IIIMDCCCCLXXXV annis continentur CCIX decemnovenales cycli, et remanent XIV anni, quorum primus habet XIV epactas, ultimus VII, scilicet lunam XII Kal. Apr. secundum Hebreos. Ab hac procedenti occurrit luna XI. in ⁿ⁾ VIII Kal. Apr. et in proximo sequenti anno XXII., quarum neutra congruit dominice passioni. Item in MCII annis a presenti anno inceptis et ascendendo retrograde divisus inveniuntur decemnovenales cycli LVIII et nichil remanet. Unde constat, quia ultimus annus XV epactas habuit ^{o)}, videlicet lunam XII Kal. Apr. secundum Iudeos, ab hac si numerando processeris, invenies lunam

a) *fehlt* A. b) *folgt* noster A. c) *fehlt* A. d) *fehlt* A. e) *fehlt* A.
 f) secundum certam ss. patr. trad. *statt* sec. ss. patr. trad. certam A. g) offendamus A. h) computationem A. i) *fehlt* A. k) Christi A.
 l) *fehlt* A. m) decemnovenales T. n) *fehlt* A. o) habuit epactas *statt* ep. hab. A.

¹¹⁵⁾ Vgl. oben Anm. 38.